

ex sola propria, vel Simonis, vel Cerinthi, vel Angelicorum voluntate et phantasia adinventata, præter, imo contra Christum et legem Dei; ideoque, teste Paulo, erat doctrina hominum, ac consequenter falsa et mera superstîtio.

Omnis enim vera religio, omnisque verus Dei cultus voluntate Dei sive præcipientis, sive consulentis, sive approbantis, vel per se, vel per suam Ecclesiam suoque in terris vicarios, institui debet. Hæc ergo angelorum religio, humilitas et abstinentia erat superstîtiosa, primo, quia a Cerintho et Angelicis conficta erat contra legem Dei; secundo, quia angelos adorabant quasi minores deos, opifices et gubernatores mundi; tertio, quia eos colebant quasi mediores et purgatores animarum, loco Christi Christoque excluso; quarto, quia fingebant se angelos vidisse, qui præcipere hunc cultum, humilitatem et abstinentiam immodicam. Sic Dæmon hodie multis in specie angeli illudit, ut corpus nimis penitentiæ et jejuniis conficiant; imo aliquibus, ut se occidant. Hunc esse sensum et mentem Apostoli patet ex dictis, et ex scopo illius: tota enim epistola non Monachos christianos, sed hereticos Judaizantes et pseudophilosophos insectatur. Ita Hieronymus supra, Augustinus, *epist.* 39, Theodoretus, Chrysostomus et alii passim, et notissime Gabriel Vasquez, lib. III *De Adoratione*, cap. vi.

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hortatur ad studium et desiderium verum celestium: inde ad mortificationem vitiorum, vers. 3.

Et vers. 10, ad renovationem mentis per misericordiam, humilitatem, patientiam.

Tertio, vers. 14, præ omnibus commendat charitatem, pacem, cantica spiritualia, utque omnia faciant ad gloriam Christi.

Veniens, vers. 18, incitatis eis sinceram obedientiam, quam uxores maritis, filii parentibus, servi dominis non ad oculum, sed ex animo præstare debent.

1. Igitur, si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt querite, ubi Christus est in dextera Dei sedens: 2. quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. 3. Mortui enim estis, et vita vestra est abscondita cum Christo in Deo. 4. Cum Christus apparuerit, vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria. 5. Mortificate ergo membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam et avaritiam, quæ est simulacrorum servitus: 6. propter quæ venit ira Dei super filios incredulitatis: 7. in quibus et vos ambulastis aliquando, cum viveretis in illis. 8. Nunc autem deponite et vos omnia: iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem ac ore vestro. 9. Nolite mentiri invicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis. 10. et induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem secundum imaginem ejus, qui creavit in m. 11. Ubi non est mendacium et Judæus, circumcisio et præputium, Barbarus et Scythia, servus et liber: sed omnia, et in omnibus Christus. 12. Induite vos ergo sicut electi Dei, sancti, et dilecti, viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem,

Hinc clare patet præcepta et consilia Evangelica, eaque quæ ex eis deducuntur, puta constitutiones monasticas et Pontificias, voluntarias abstinentias et penitentias, non esse *idæbrycæ*, et superstitionem, ut vult Kemnitius, Marlortus et Beza, sed esse *idæbrycæ*, verumque Dei cultum; quia tenent caput, puta Christum, et consentanea sunt divinæ voluntati, quæ Deus per Christum in Scriptura præcipit, vel consultit, vel abnegationem, mortificationem, contemptum, pauperitatem, eaque probat Ecclesia (quæ Scripturæ et voluntatis Dei est interpres) quasi instituta secundum Evangelium, valdeque apta ad fovendam et augendam animi humilitatem, religionem, charitatem et pietatem.

Denique perperam Calvinus cultum reliquiarum Sanctorum vult esse *idæbrycæ*, tum quia de eo non loquitur hic Apostolus, tum quia rationi, Scripturæ et voluntati Dei consentaneum est, ut honorem Sanctos, eorumque corpora, quasi templa Spiritus Sancti: vult enim Deus ita Sanctos quasi amicos et filios suos a nobis honorari; non ergo hic cultus potest vocari voluntaria et contra legem Dei conficta religio, sed potius pura et grata Deo religio: qui enim Sanctos eorumque reliquias honorat, honorat Deum qui omnis sanctilitatis eorum est auctor: sicut qui filios et principes regis honorat, regem ipsum honorat.

Constituta
monasti-
ca et
Pontificia
non sunt
idæbrycæ

Cultus
reliquiarum
Sanctorum
non est
idæbrycæ

modestiam, patientiam: 13. supportantes invicem, et donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam: sicut et Dominus donavit vobis, ita et vos. 14. Super omnia autem hæc, charitatem habete, quod est vinculum perfectionis. 15. Et pax Christi exultet in cordibus vestris, in qua et vocati estis in uno corpore: et grati estote. 16. Verbum Christi habitat in vobis abundanter in omni sapientia, docentes, et commententes vosmetipsos, psalmis, hymnis, et canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo. 17. Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi, gratias agentes Deo et Patri per ipsum. 18. Mutures, subdite estote viris, sicut oportet, in Domino. 19. Viri, diligite uxores vestras, et nolite amari esse ad illas. 20. Filii, obedite parentibus per omnia: hoc enim placitum est in Domino. 21. Patres, nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant. 22. Servi, obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis, timentes Deum. 23. Quodcumque facitis, ex animo operamini, sicut Domino, et non hominibus: 24. scientes quod a Domino accipietis retributionem hæreditatis. Domino Christo servite. 25. Qui enim injuriam facit, recipiet id quod inique gessit: et non est personarum acceptio apud Deum.

1. Igitur, si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt querite, ubi Christus est in dextera Dei sedens. — Est hæc altera epistolæ pars ethica, quæ a dogmaticis transit ad mores, incitaturque Christianos ad vitam Christo dignam, a vitiis puram, sanctam et celestem transigendam.

Nota: Tercio igitur est illativum ex dictis cap. præced. ibi enim docuit nos in baptismo cum Christo resurrexisse: inde hic infert: ergo nobis agenda est vita celestis.

Secundo vox si non est dubitantis, sed potius asserentis: namque idem quod *quodcumque*.

Tertio, idæbrycæ est typus mortis, sepulture et resurrectionis Christi, ut ex Apostolo docuit Rom. vi. 3; ipsa enim demersio hominis in aquam significat Christi demersionem in mortem et sepulcrum: ipsa vero emersio hominis jam baptizati ex aqua, significat Christi emersionem ex morte et sepulcro, id est resurrectionem, q. d. Quodcumque, o Christiani Colossenses, cum Christo capite vestro resurgente a mortuis, vos in baptismo, qui typus est mortis, sepulcri et resurrectionis Christi, ex infidelitate, superstitione, peccatis et vitiis emeritis ad vitam novam, Christianam et beatam inchoandam; «querite» mente et studio, omnique cura, sollicitudine et conatu, non bona terrena, quæ deorsum, sed ea quæ sursum sunt, id est æterna bona, scilicet gloriam celestem (in qua Christus est, vobisque locum parat) quasi finem; et mores, virtutes ac vitam celestem, quasi medium congruum, et a Deo ordinatum ad illum finem assequendum; eaque «sapite» per sapientiam, scientiam, affectionem, gustum, desiderium, cogitationem et meditationem rerum spiritualium, celestium et divinarum: hoc enim est Græcè *υποσκελετο*. Christiano ergo sapiant celestia, desipiant terrena; perinde ut homini desipiunt pilule, et phar-

maca amara; unde ut ea non sentiat nec sapiat, illico et integra si potest transglutit: ita plane fidei insipida sint omnes terrene deliciae et pompæ, quia sapor celestium tantus est, ut reliqua omnia videantur insulsa et amara: cibis tamen cælestibus utendum, sed quasi pharmacis, juxta illud S. Augustini, lib. X *Confess.* xxxi: «Hoc me docuisti, ut quemadmodum medicamentum, sic alimenta sumpturus accedam.»

Unde S. Bernardus, serm. 6 *De Ascensione*: «Si consurrexistis, ait, cum Christo, quæ sursum sunt querite, etc. Ac si manifestus dicat: Si consurrexistis, et conscendite; si convivitis, et conregnate. Sequamur, fratres, sequamur Agnum, quocumque ierit: sequamur multo libentius, ascendentem. Crucifigitur vetus homo noster simul cum illo, ut destruat corpus peccati,» etc. Idem, serm. 4 *in Paschate*: «Quicumque, ait, post lamenta penitentie non ad carnales redit consolationes, sed in fiduciam divine miserationis excedit, ingreditur novam quamdam devotionem, et gaudium in Spiritu Sancto, nec tam compungitur præteriorum recordatione peccatorum, quam delectatur memoria, et inflammatur æternorum desiderio præmiorum: hæc hæc est qui cum Christo resurgit, qui pascha celebrat, qui festinat in Galileam. Vos ergo, charissimi, qui sursum sunt querite, etc., ut a seculari lœtitia, et consolatione mundi per compunctionem, et tristitiam quæ secundum Deum est, ad devotionem sanctorum, et spiritualem vos transire gaudeatis exultam, et spiritualem vos transire gaudeatis exultationem: ipso præstante qui transit ex hoc mundo ad Patrem, et nos quoque trahere post se, et in Galileam vocare dignatur, et semetipsum nobis ostendat, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.»

Itaque quæ Plato in *Cratyllo*: Homo, inquit,

conceptus. Ita Franciscus Suarez, III part., disp. v, sect. 3. Sic III Reg. II, 49, dicitur mater Salomonis venisse ad eum sedentem in throno regio et sedisse ad dextram ejus, id est proxime apud regem filium, ut rex quasi locum et honorem regni cum ea communicaret: nec enim dextra opponitur sine sinistra, quia solus sedebat rex cum matre; unde neminem habebat ad sinistram sedentem. Sic Psal. XLV, 10, dicitur de Ecclesia, que est regina et sponsa Christi: « Adstitit regina, a dextris tuis, » scilicet ut regis Christi thalami et regni sit consors, non taliter qualiter, sed a dextris, id est proxime et honoratissime. Ex quibus locis patet thronum regium, id est locum honoratissimum, esse regis, sed mari aut sponsæ regis sedem a dextris regis collocari, tanquam is locus sit honoratissimus, non absolute, sed post locum et thronum regis. Sic rursus dicitur Eccli. XXII, 42: « Non status illum (inimicum) penes te, nec sedeat ad dexteram tuam, ne forte conversus in locum tuum, inquirat cathedram tuam, » ut scilicet de tua cathedra, loco et gradu deturbet, et a dextra tua insillat in cathedram tuam, cathedra ergo honoratior erat dextra. Ita et hic se res habet.

3. MORTUI ENIM ESTIS. — g. d. Per baptismum, morum conversionem et vite mutationem, mortui estis mundo, carni, peccatis vite et conversationi mundanæ et carnali; imo mortui estis vobis ipsis, quia non estis id, quod eratis ante. Hoc enim mors quedam est, v. g. mortuus est Petrus ebricus, quia resurrexit sobrius; mortua enim est in Petro ebrietas et resurrexit sobrietas, inquit Anselmus. Rursus Christianus debet esse quasi homo mortuus, qui (ut ait quidam Sanctorum) nulli detrahit, nemini violentus existit, neminem calumniatur, neminem opprimit, non invidet bonis, non insultat malis, non luxuriæ carnis servit, non odiorum flamma inardescit, non potentibus aut divitibus hujus sæculi, ut multi nostris temporibus faciunt, adulatur, non iniqua curiositate raplatur, non turbæ maximæ sibi adstantis plausum querit, non auro argenteoque, aut veste præiosa circumdatus descenditur, non salutationibus potentum delectatur, non se injuriis fatigat; non eum superbia inflat, non ambitio hujus sæculi necat, non vana gloria turpiter jactat, non hujus vite falsæ divitiæ extollunt, non rabies insani furoris exagitat, non pulcherrima species feminarum avidum reddunt, non contentiones hujus mundi perturbant: talis prorsus debet esse Christianus, si velit esse perfectus et cum Christo mundo mortuus.

Relium, inquit S. Augustinus, lib. De Continentia, cap. x tom. IV, talium, inquam, mortuorum vox est. « Vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus Quorum ergo vita abscondita est in Deo, admittuntur et exhortantur, ut membra sua mortificent, que sunt super terram, continentiam, scilicet concupiscentiæ motibus

non consentiendo; ut licet ipsa nostra cogitatio eorum quadam suggestione et quasi susurratione tangatur, tamen ab eis, ne oblectetur, avertatur. » Et S. Gregorius, lib. VIII Moral., cap. x. « Sunt, inquit, nonnulli justorum qui ad comprehendendum culmen perfectionis accedunt, dum aliorum interius appetunt, exterius cuncta derelinquunt; qui rebus se habitis nudant, gloria honoris excolant, qui interiorum desiderio per assiduitatem se amici mœroris afficiunt, habere de exterioribus consolationem nolunt; qui internis gaudiis dum mente appropriant, vitam in se funditis corporeæ delectationis necant. Talibus namque per Paulum dicitur: Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Horum vocem Psalmista expresserat, cum dicebat: Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini. Concupiscit enim, sed non deficit, qui jam quidem cœlestia appetunt, sed adhuc tamen a terrenorum delectationibus minime lassantur. Concupiscit et in atria Dei deficit, qui cum æterna desiderat, in amore temporalium non perdat. »

VITA VESTRA ABSCONDITA EST CUM CHRISTO IN DEO. — g. d. Mundus non videt vestram divinam vitam gratiæ, quam habetis; et gloriæ, quam expectatis: sicut non videt vitam gloriosam, ad quam resurrexit, quaque vivit jam Christus in Deo, id est apud Deum.

Dicitur ergo « vita » Sanctorum « abscondita, » primo, quia mundus novum hoc pie, sancte ac interne vivendi genus ignorat, avertatur et mortem æstimat.

Secundo, quia tegitur sua humilitate (Sancti enim latere cupiunt et latebras amant, ut amavit S. Alexius), mortificatione et corporis erumnis. Recte monuit Epicurus, ἀθεόθεον, id est latentior vive. Et Ovidius:

Crede mihi, bene qui latuit, bene vivit: et intra Fortunam debet quisque manere suam.

Tertio, quia gratia et virtutes, que sunt quasi anima hujus novæ vite spiritualis, intus in mente sunt absconditæ.

Quarto, quia Sancti a mundi cupiditatibus et mundana conversatione se abstrahunt et abscondunt. Ita Anselmus, Præclare S. Augustinus in Sententiis, num. 201: « Boni, ait, latent, quia bonum ipsorum in occulto est, nec visibile est, nec corporale quod diligunt; et tam merita eorum sunt in abscondito constituta, quam premia. »

Quinto, quia in Dei amore et contemplatione inferna se abscondunt. Nam, ut ait S. Gregorius, lib. V Moral., cap. III: « Qui mortificare se appetit, valde ad inventam requiem contemplationis harescit, ut extinctus mundo lateat, et a cunctis exteriorum rerum perturbationibus intra sinum se intimi amoris abscondat. »

Sexto et maxime, quia vita gloriæ, quam Sancti expectant, jam est abscondita, g. d. Vita vestra est quasi hiems, in qua sol, id est Christus, occul-

Christi
vita
abscondita
est
cum
Christo
in
Deo.

Quomodo
vita
abscondita
est
cum
Christo
in
Deo.

Quarta.

Sexta.

tuus; vos estis quasi arbores exterius arida, sine fronde, id est sine decore, specie et pulchritudine; sed interius habetis radicem vivam, scilicet charitatem in Deo, quasi in terra vitali defixam et viventem « Veniet æstas, scilicet Christi revelatio et gloria, cum revirescentis resurgendo, ac vitales habitis frondes et fructus, scilicet doctæ beatitudinis, tam in anima, quam in corpore. Ita Anselmus. Eleganter S. Augustinus, serm. 112 De Tempore: « Hiemis tempore, inquit, etiam viridis arbor arida similis est. Venit æstas, et viva radix folia producit et impletur fructibus. Sic hiems nostra Christi occultatio est; æstas nostra Christi revelatio. Mortui enim estis, inquit Apostolus, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Certe mortui, sed mortui specie, vivi radice. Attende autem venturum tempus æstatis quomodo sequatur et dicat: Cum autem Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria. Eia ergo, dulcissime Deus, hoc mihi tecum pactum erit: plane moriar mihi ipsi, ut tu solus in me vivas; totus intra me silebo, ut tu loquaris in me; totus quiescam, ut tu solus opereris in me. »

Ita S. Elzearius, comes Arriani, cum in monte Pessalano hæreret, ejus uxor Delphina, sed virgo (vivebant enim cæcibes), misit ad eum litteras per famulum, cupiens scire cur illic moram faceret. Cui ille sic respondit: « Sanus sum corpore et sospes. Quod si me videre cupis, quere me in vulnere lateris Christi. Illic enim habito, et ibi poteris me invenire, frustra alibi quasitura. » Ita habet ejus Vita, cap. xxx. Itaque sicut terra coarperit venas auri, mare uniones, terra radices succumque arborum; ita humilium et sanctorum virtus tum ab absconditur, tum a Deo in hoc mundo tegitur et absconditur.

Ita abscondita fuit vita S. Pauli primi eremite, S. Hilarionis, S. Antonii, S. Macarii et tot centenorum millium Anachoretarum et Monachorum, quos Theodoretus, Palladius, Sophronius, Rufinus et alii commemorant, qui mundi illecebras fugientes, ut Christo fruerentur, dicebant: « Elongavi fugiens et mansi in solitudine. »

Ita abscondita fuit vita S. Magdalene in Bauma per 30 annos, S. Mariæ Egyptiacæ, que per 45 annos in eremo nullum mortalem vidit, nec ab ullo visa est, S. Pelagiæ penitentis; SS. Cæciliæ, Agnetis, Lucie et tot millenarum virginum, que vel domi in cubiculis, vel in monasteriis et claustris mundo incognite, nisi sponso Christo vivere et placere studuerunt et etiamnum student.

Ita abscondita fuit vita S. Hieronymi latentis in Bethleem ad Christi presepe, S. Joannis Calybitæ, S. Simeonis Stylitis, S. Francis, S. Bernardi et bodie tot Religiosorum sanctorum æque ac doctorum, qui lucem hominum fugientes abduunt sese, ut in die eternitatis cum Christo appareant in gloria.

Ita abscondita fuit vita SS. Petri, Pauli et Apos-

torum omnium, qui videbantur esset orbis peripernata et catharmata.

Ita abscondita fuit hic Rome vita primorum Christianorum et Martyrum, qui per trecentos annos latuerunt in cryptis et speluncis, de quibus plura Hebr. XI, 38.

4. CUM CHRISTUS APPARUERIT VITA VESTRA, TUNC ET VOS APPAREBITIS CUM IP SO IN GLORIA. — Nota: Christus dicitur « vita vestra » metonymice, quia est causa vite nostræ, tam gratiæ, quam gloriæ: causa, inquam, tum efficiens, tum exemplaris, tum objectiva.

Secundo, notat Theophylactus presentem vitam naturalem, magis esse mortem quam vitam, quia consistit in corruptione, fluxu et refluxu.

Tertio, notat vitam gratiæ et spiritus in hoc sæculo latere, sed in fine mundi, cum Christus toto mundo gloriosus judex apparebit, tunc pariter vitam hanc nostram toto mundo manifestandum esse: « Delitescit, inquit ex Chrysostomo Theophylactus, margarita tantisper, dum in conchylio fuerit, simul ac vero illud perfectum fuerit, tum in gloria reuect: sic et nos in hoc corpore quasi latentes vivere debemus ab omni gloriæ cupiditate alieni; cum autem hoc corruptibile corpus dissolutum fuerit, tum gloria nostra resplendebit. »

3. MORTIFICARE ERGO MEMBRA VESTRA, QUE SUNT SUPER TERRAM. — Dices: vers. 3 dixit: « Mortui estis; » quomodo ergo hic dicit: « Mortificate? » Respondet Vatablus: « Mortui estis, » id est, mori copistis peccatis; hic vero dicit: « Mortificate, » id est pergit ea mortificare; ut ibi actus inchoatus, hic continuatus significetur, juxta Can. 32.

Secundo et melius, Chrysostomus et Theophylactus respondent duplicem esse mortem et mortificationem: priorem, qua præterita peccata delentur et mortificantur. Hæc facta est in baptismo: de hac dixit Apostolus: « Mortui estis. » Posteriorem, qua motus quotidie post baptismum renascentes, assidue justificatio sunt mortificandi. Unde dicit Apostolus: « Mortificate, » g. d. Mortui estis peccatis, his renuntiastis, his vos mori professi estis in baptismo, restat ergo, ut concupiscentiæ motus indies repullulantes mortificetis, ne illi in pristina peccata per consensum vos pertrahant.

Moraliter S. Gregorius explicans illud I Reg. II, Dominus mortificat et vivificat, sic ait: « In his verbis etiam ordo notandus est; prius quippe mortificare dicitur, deinde vivificare, quia nisi velle moriamur, Deo per amorem vivere non valeamus. Unde is qui se mortificatum et vivificatum meminerat, loquebatur dicens: Mihi mundum mundum meminerat, loquebatur dicens: Mihi mundum crucifixus est et ego mundo. Vivebat, sed non mundi vita, qui dicebat: Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus. Mortificatum ergo et vivificatum esse, est præsentia nulla concupiscere, et æterna desiderare. »

Modum et stimulum insignem mortificationis hujus Religiosis suggerit abbas Moyses in Vita

Presenti
vita
magis
est
mors
quam
vita.

Vita
Sando-
rum
hic
latet
sicut
margarita
in
conchylio.

Morale
de morte
et mortifi-
catione
hujus
vite.

Patr., lib. VII, cap. XLVI. Rogatus enim a fratre quodam: « Quomodo potest se homo mortificare? » respondit: « Nisi quis arbitratus fuerit, se habere jam triennium in sepulcro, ad hunc sermonem pervenire non potest. »

Abbas Pimenius: « Ille, ait, monachus potest tanquam mortuus huic saeculo esse, qui duas res horruerit, id est carnis suae requiem et vanam gloriam. » Ibidem.

S. Antonius monet discipulum suum, dicens: « Horre ventrem tuum, et necessitatem hujus saeculi, et concupiscentiam malam, et honorem, tanquam absens de hoc saeculo, et requiem possidebis. » Ibidem.

Porro vitia haec non uno ictu, sed sensim ressecunda sunt longa constantia. Id pulchro apologo docet abbas ille in *Vitis Patr.*, lib. V, cap. VII, *De Patientia*, num. 40: « Homo quidam, ait, habuit possessionem, et de negligentia ejus in sentes redacta est, et repleta est tribulis et spinis. Visum est autem ei postea, ut excoleret eam; et dixit filio suo: Vade et purga agrum possessionis illius. Et venit filius ejus ut purgaret: qui cum respexisset, vidit multitudinem tribulorum et spinarum increvisse ei; et deficiens animo, dixit ad seipsum: Quando ego habeo haec omnia eradicare et purgare? Et projecit se in terram cepit dormire, hoc autem fecit multis diebus. Post haec venit pater ejus videre quid fecerat, et invenit eum nihil operatum; et dixit ei: Quare usque modo nihil fecisti? et dixit juvenis ille patri suo: Mox ut veniebam operari, pater, cum vidissem multitudinem hanc tribulorum et spinarum, revocabar ab assumptione laboris, et praere tribulatione projecit me in terram et dormiebam. Tunc dixit ei pater suus: Fili, ad mensuram latitudinis, quam jaecus in terra occupas, per singulos dies operare, et ita paulatim proficiet opus tuum, et tu pusillanimus non efficietis. Quod cum audisset juvenis, fecit sic, et in parvo tempore purgata est et exculca possessio. Et tu ita, frater, paulatim operare, et non deficies, et Deus per gratiam suam restituet tibi iterum priori ordini tuo. Hoc audito, frater ille abiit, et cum omni patientia sedens faciebat sicut edoctus fuerat a sene; et sic invenit requiem, et promovebatur per Dominum Christum. »

MEMBRA VESTRA, QUAE SUNT SUPER TERRAM, FORNICATIONEM, — q. d. Mortificate membra vestra, mortificando, scilicet, fornicationem, libidinem, concupiscentiam, quae residet in membris vestris.

Secundo, et magis genuine ad phrasim Apostoli, « membra » terrestria hic vocat affectus pravos, et motus concupiscentiae; hi enim sunt quasi membra veteris hominis, terrestria Adae et totius corporis concupiscentiae: omnia enim peccata quasi unum sunt corpus et unum regnum concupiscentiae, de quo dixi *Rom.* vii, 22. Ita Chrysostomus, Ambrosius, Anselmus. Unde membra hujus veteris hominis explicans subdit: « Fornicationem, libidinem, » scilicet praeposteram, aut Vatablus, graece enim est *παθη*, id est libido succuba: unce *pathie* dicuntur scorta mascula: quancquam Theophylactus per *παθη*, id est passionem, omne turpium mixtionum genus intelligat. Quomodo avaritiam vocat Apostolus « idolum servitutem, » dixi *Ephes.*, vers. 5.

6. PROPTER QUAE VENIT (venire solet) IR. DEI SUPER FILIOS INCREDULITATIS, — ἀπειθείας, id est inobedientia, q. d. Super filios inobedientes, incredulos, rebelles Deo et Evangelio.

7. IN QUIBUS (id est inter quos, inquit Syrus et Vatablus; vel potius « in quibus, » scilicet libidinibus et peccatis jam enumeratis) ET VOS AMBULASTIS.

8. NUNC AUTEM DEPONITE ET VOS OMNIA, — subaudi, sicut et nos deposuimus. Aut, sicut illi increduli non deposuerunt. Aut planius, sicut et vos in omnibus illis ambulastis.

9 et 10. EXPOLIANTES VOS VETEREM HOMINEM CUM ACTIBUS SUI, ET INDUENTES NOVUM. — Pro expoliantes, graece est praeteritum, ἀποδομήματα, id est postquam exuistis veterem hominem; sic pro induentes, graece est ἰνδομήματα, id est postquam induistis novum. Sed verius videtur Apostolum hic praeteritum, more Hebraeo, capere pro praesenti; rursum, praesens capere pro imperativo. Unde Syrus vertit, *exiit veterem hominem et induit novum*; hoc enim intendit et arget Apostolus, uti et *Ephes.* iv, 23, cui hic locus plane respondet.

Nota: « Vetus homo » est homo vitiatu, quatenus scilicet est infectus concupiscentia Adae; hujus motus sunt actus concupiscentiae, puta motus irae, gulae, superbiae, etc. « Novus homo » est idem homo, quatenus spiritu et gratia Christi renovatus est.

Pulchre veterem hominem describit Bernardus, *serm.* 30 inter parvos, ubi sic ait: « Duo homines sunt, vetus et novus, Adam vetus, et Christus novus, ille terrenus, iste caelestis; illius imago vetustas, istius imago novitas. Est autem triplex vetustas, et e contrario triplex novitas: est enim vetustas in corde, in ore, in corpore. In quibus tribus modis peccamus, cogitatione, locutione et opere. In corde sunt carnalia desideria et saecularia, id est amor carnis et amor saeculi. Similiter in ore est gemitus vetustas, arrogantia et derogatio. Item gemitus in corpore flagitia et facinora. Haec omnia sunt imago veteris hominis, et haec omnia renovanda sunt in nobis. Renovetur ergo cor a carnalibus desideriis et secularibus, ut excludat illis introducat amor Dei et amor patriae caelestis. Recedant ab ore arrogantia et derogatio, et succedant oro his vera peccatorum confessio et bona de proximis aestimatio, pro flagitiis et facinoribus, quae vetustas est corporis, assumatur continentia et innocentia, ut scilicet contrariis virtutibus contraria vitia depellantur. » Vide etiam dicta *Rom.* xii, 2, et *Ephes.* v, 4.

Descriptio hominis novi et veteris et S. Bernardus.

10. QUI (NOVUS HOMO JAM DICTUS) RENOVATUR (de die in die) magis et magis semper renovandus est) IN AGNITIONEM. — Addunt aliqui, *Dei*; sed male: nec enim vocem *Dei* habent Graeca, Syrus, aut Latina correctiora. Refertur ergo *in agnitionem* ad gentium qui sequitur, « ejus qui creavit illum, » id est Dei. Renovatio ergo haec in eo consistit, ut deponentes vitia et studentes virtutibus, in dies clarius Deum Deique voluntatem cognoscamus, non speculative, sed practice; quae practica cognitio sita est in studio adimplendi sanctam Dei voluntatem. Unde explicans subdit: « Secundum imaginem ejus qui creavit illum. » « In hoc, inquit S. Joannes, *epist.* I, cap. II, vers. 3 et 4, scimus quoniam cognovimus eum, si mandata ejus observamus; qui dicit se nosse eum, et mandata ejus non custodit, mendax est, et in hoc veritas non est. »

SECUNDUM IMAGINEM EJUS QUI CREAVIT ILLUM. — Nota, hic et *Genes.* II, ubi dicitur: « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, » quo hic alludit Apostolus, « imaginem » sumi pro exemplari, q. d. Renovemur mente et spiritu, ut fiamus similes exemplari, id est Deo creatori nostro, et, ut Theophylactus, Christo repletori et recreatori nostro. Sicut enim Deus in Genesi creavit hominem ad imaginem suam, ita Christus hominem lapsam et perditam suam morte in baptismo reformavit et quasi denno creavit ad imaginem Dei et suam.

Potest tamen imago proprie sumi, ut sit hebraismus, q. d. « Secundum imaginem, » id est ut simus imagines exemplaris nostri Dei.

Nota secundo: « Imago » haec in homine tum naturalis est, sita in intellectu, voluntate et memoria; hanc renovari vult Apostolus, ut hisce potentis nihil velimus, nihil memoremur, nihil cogitemus, nisi quod est ad honorem et obsequium Dei: tum supernaturalis est, quae sita est in gratia, fide, spe et charitate, sapientia et puritate divina, quam in dies magis innovari et augeri vult Apostolus. Vide dicta *Ephes.* cap. IV, vers. 22 et seq.

11. UBI NON EST GENTILIS ET JUDEUS, CIRCUMCISIO ET PRAEPUTIUM (id est circumcisus et praepreputiatus, juxta *Can.* 21), BARBARUS ET SCYTHA, SERVUS ET LIBER, (q. d. In hac renovatione Christiana non refert an Judeus sis, an Gentilis, an Barbarus, an servus, etc., quia) IN OMNIBUS (ita renovatus, qui novum hominem, Christum scilicet, induerunt, ipse) CHRISTUS (est) OMNIA, — id est omnis sanctitas, justitia, religio et omne bonum, quia Christus eis communicat suam sanctitatem, justitiam, religionem et omne bonum; et in eis nihil sit nisi Christiana sanctitas, virtus et perfectio; ac proinde omnes, sive Scythae, sive Judaei, sive Barbari sint, in Christo et novo hoc homine Christiano unum sunt.

Secundo, « Christus nobis » est « omnia: » quia nobis est salvator, dominus, ductor, motor, Deus,

caput, pontifex, victima, pater, sponsus, auriga, operator et omnia.

Unde tertio, « Christus » est « omnia, » id est operator omnia in omnibus, ut sit metonymia.

Nota: Barbaro opponit Scytham, sicut Judaeo Gentilem, non quod Scythae non sin, Barbari, sed quod maxime sint Barbari, ita ut illi Barbari illis comparati non videantur esse Barbari, sed illis esse oppositi; sicut Judaei opposita sunt Gentes, q. d. Omnes nationes etiam naturaliter a se invicem averse, in Christo unum sunt: ergo in christianismo naturale hoc gentis adversae odium deponere debent, neque aversari eos qui sunt alterius gentis aut conditionis, sed omnes quasi fratres in Christo amplecti. Unde sequitur:

12. INDUTE VOS ERGO SICUT ELECTI DEI, SANCTI, ET DILECTI (sicut deest Sanctos, dilectos et electos a Deo ad gratiam et gloriam), VISCERA MISERICORDIAE. — Graece est *ἐλεησιμότης*, id est miserationum, puta visceralem misericordiam et commiserationem.

BENIGNITATEM, — comitatem, ut silis comes, blandi, non rustici et austeri.

MODESTIAM. — Graece *πραΐτητα*, id est mansuetudinem, lenitatem.

PATIENTIAM. — Graece *μακροθυμία*, id est longanimitatem.

Rele Cassianus, *collat.* XII, cap. VI: « Quantum inquit, quis in lenitate ac patientia cordis, tantum in cordis puritate proficiet. Beati miles, quoniam ipsi possident terram. Non enim aestus corporis declinabit, nisi qui animi motus ante compresserit. »

Rursum, ut quidam alius Sanctorum ait: « Iracundi animus semper molestia angitur, et corpus morbo vexatur. Benigni et corpus et anima, et mens perpetua fruuntur sanitate: gaudet in contumelia, Deum laudat in calamitate, iratos mitigat, sub humilitatis jugo triumphat. »

14. CHARITATEM HABETE, QUOD EST VINICULUM PERFECTIONIS, — id est vinculum perfectum, inquit Vatablus, quod scilicet perfecte tam virtutes, quam homines unit et connectit. Sic enim Hebraei loquuntur: « viri misericordiae, » id est misericordes; « calix benedictionis, » id est benedictus; « filii obedientiae, » id est obedientes.

Secundo et melius, « vinculum perfectionis, » vel integritatis (utrumque enim significat Graecum *ἀσπαστος*), id est vinculum connectens, integrans, perficiens benignitatem, misericordiam, humilitatem, patientiam jam dictas, aliasque omnes virtutes; vel simplicissime charitas est vinculum « perfectionis, » id est virtutum jam dictarum aliarumque omnium, in quibus perfectio et integritas Christiana consistit, q. d. Omne jam dictae aliarumque verae et Christianae virtutes, ac mandata in charitate, quasi centro, colligantur et ununtur, et nisi ea adsit, statim dissolvuntur. Sicut ergo anima unit omnia membra totumque corpus integrat et perficit, ut, si anima tollatur a cor-

Denique corpus et anima sana sunt.

Vers. 14.

Quomodo charitas est vinculum perfectionis?

Charitas est centrum et anima virtutum.

pore, membra omnia dissolvantur, totumque corpus dilabatur, cornat ac pereat; et sicut domus connectitur et consistit per suas colligationes et vincula, tisque sublatis dissolvitur et corrui: ta charitas, inquit Theophylactus, unit omnes virtutes, compleque totum corpus perfectionis Christiane, quod in aggregatione virtutum Christianarum consistit; ut, si charitatem tollas, virtutes diffluant, et tota perfectio corpusque virtutum pereat. Ita Chrysostomus, Theophylactus, Oecumenius, Anselmus.

Nota: Loquitur Apostolus maxime de charitate in proximum; hae enim est vinculum patientiae, misericordiae, benignitatis. Charitas tamen in proximum nititur charitate in Deum, quasi causa et objecto formali: propter Deum enim diligimus proximum.

Unde secundo, ratio et causa cur charitas sit vinculum et unio tum virtutum, tum animorum, est illa quam dat S. Augustinus, tract. 103 in Joan.: «Charitas, inquit, est tunica inconsutis Christi, quae ad unum, scilicet Deum, pervenit et in unum omnes colligit.» Vide S. Thomam, II, II, Quaes. CLXXXIV, art. 1 in corpore.

Hinc tertio, patet nullam virtutem sine charitate esse perfectam, imo sine charitate quamlibet virtutem perire sensim et emori; nulla enim virtus sola per se consistere potest, sed aliarum opus habet auxilio; v. g. modestia opus habet patientiae, ut in injuriis ferendis et contumeliis modesta, se gerat; patientia opus habet humilitatis, nisi enim sit humilis, non feret superbe sibi insultantes; et ita consequenter. Cum ergo omnium virtutum vinculum sit charitas, sequitur nec eas simul, nec quamlibet seorsim posse diu consistere sine charitate.

Charitas est tunica inconsutis Christi.

Nulla virtus per se consistere potest, sed indiget operum aliarum.

Ver. 15.

15. PAX CHRISTI EXULLET IN CORDIBUS VESTRIS, ENQUAE ET VOCATI ESTIS IN UNO CORPORE, — q. d. inquit Anselmus: «Gaudete et tripudiate» ob pacem animi. Verum nota: Pro exullet, graece est βαρβαρως, quod Erasmus et Vatablus vertunt, bravium et palmam ferat pax, ut quocumque opinionum, rerum, factorum diversitas vel adversitas accidat, pax conservetur; primum studium sit pacis, prima ubique paci deferantur, ut potius tua sententia decedas, imo potius bona tua perdas, quam pacem; ideoque pax victrix instar triumphantis exullet in cordibus vestris, et sit putet se vicisse in quavis lite, aut disputatione, qui ceterarum rerum dispendio pacem conservavit. Hae est quod illustrissimus Cardinalis Bellarmus sapienter dixit, sapientius praestitit: «Unica charitatis ac pacis melior est libra victoriae.» Digna Cardinali vox, dignior actio. Imo S. Augustinus, serm. 12 De Verbis Apostoli: «Nolo, ait, habere cum quo litige. Nullo est mihi optabilius inimicum non habere, quam vincere.»

Secundo melius, «pax Christi» βαρβαρως, id est quasi brabeuta imperet et regat animi vestri motus, et, ut Syrus verit, pax Mesico gubernet corda

Quid sit Pax Christi exullet? Primae potio.

vestra: Graecum enim βαρβαρως significat praedere, regere, moderari et tanquam praesidem in certamine victori dare palmam et bravium. Alludit enim ad agones et certamina, in quibus brabeuta quasi iudex, arbiter et moderator praesidebat et victori palmam ac bravium dabat; qualis brabeuta Dareti et Entelli caestibus certantium, erat Aeneas apud Virgilium, Aeneidos V:

Tum pater Aeneas procedere longius iras, Et savire animis Entellum haud passus acerbus; Sed inem imposuit pugnae.

Ita pax quasi brabeuta omni pugnae et liti finem imponit, v. g. ait Theophylactus, cum injuria sumus affecti, geminae in nobis cogitationes certant, altera ad vindictam, ad patientiam altera nos incitans: accedat tunc pax quasi brabeuta, et patientiae quasi victrici pacisque auctrici palmam tribuat. Hinc olim brabeuta virgam, vel sceptrum quasi praesides et iudices gerebant, ut colligitur ex Plutarcho, in Antonio; imo Grammatici Graecum βαρβαρως, vel βαρβως, a βαρβω; id est virga, quam gestabant, per metathesin deducunt. Unde βαρβαρως et βαρβωγος pro eodem poni a Platone in Protagora, testis est Budaeus, quasi dicit Paulus: In animis vestris brabeutas et agonotheta omnia regens et moderans sedet non ira, non superbia, non cupidus, non affectus animae in officio continet et passionum bella reprimit, ut et nobiscum et cum proximis perpetua pace et concordia fruamur, ac unanimis Christo serviamus. Ita Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius.

Hinc sequitur hanc pacem bello parari, imo continuum cum cupiditatibus et passionibus bello includere. Menelides olim invidens Epaminonda gloriæ, suavit populo, ut pacem haberent bello potiore. Cum Epaminondas: Fallis, inquit, cives tuos, qui otii nomine eos ad servitutum vocas. Pax enim bello paratur; nec eam tueri licet, nisi cives sint ad bellum instructi. Idem dicit sibi quisque Christianus, audiatque vocem S. Augustini, serm. 87 De Verbis Domini: «Pax, pacis est, est serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, amoris vinculum, consortium charitatis. Haec est quae simulatas tollit, bella compescit, comprimit iras, superbos caecat, humiles amat, discordes sedat, inimicos concordat, cunctis est placida: non quaerit alienum, nihil deputat suum, docet amare quae odisse non novit, nescit extolli, nescit inflari. Hanc ergo qui accipit, teneat; qui perdidit, repetat; qui amisit, exquirat: quoniam qui in eadem non fuerit inventus, adhiocatur a Patre, exhibetur a Filio, nihilominus a Spiritu Sancto alienus efficitur.»

Nota: «Pax» haec dicitur esse «Christi», quia Christus pacem hanc e caelo in terram Jetulit: unde angeli Christo nato occinerunt: «Gloria in excelsis Deo, et in terra pax,» etc., eamque sanxit

Uol. di. calvo hae hant?

Quasi imperet in animis.

Paxem a celo ab- tulit et sanxit Christi.

et praecipit dicens: «Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis;» voluitque ut Evangelium et Christianismo esset lex, schola et professio pacis ac charitatis. Unde sequitur: «In qua (id est ad quam) vocati estis in uno corpore,» id est in unum corpus, puta in unam Ecclesiam. Praclare S. Augustinus, serm. 369: «Pax Christi, ait, finem temporis non habet, et ipsa est omnis intentionis actionisque perfectio. Propter hanc Sacramentis ejus imbuimur; propter hanc mirabilibus ejus operibus et sermonibus erudimur; propter hanc Spiritus Sancti pignus accepimus; propter hanc in eum credimus et speramus, et amore ipsius quantum donat accedimus; propter hanc denique omnem tribulationem fortiter toleramus, ut in ea feliciter sine tribulatione regnemus. Verum enim pax unitatem facit; quoniam qui adheret Deo, unus spiritus est.»

Geniles hanc pacem adamarunt et exquisierunt. Dicebat ille:

Nulla salus bello, pacem te precor omnes.

Pomponius Atticus in funere matris, quam extulit nonagenarium, ipse natus annos sexaginta septem, gloriatus est, quod nunquam cum matre in gratiam redisset, eo quod nunquam eam offenderat, quod nunquam cum sorore, sibi pene coeva, fuisset in similitate. Hanc vocem se ab ipso audisse scripsit Cornelius Nepos. Verum qui omni omnibus, etiam externis et inimicis, pacem perennem conservet, non naturae, sed gratiae, non Gentilium, sed Christi pacem et spiritum habet oportet.

ET GRATI ESTOTE. — Graeco εὐχαριστετε, id est gratiosi, amabiles estote, ut ex Hieronymo verit Vatablus et Erasmus; qui enim tales sunt, solent proximis esse benigni, misericordes, compatientes, pacem secum et cum aliis non tantum colere, sed et conciliare: omnia enim hae spectant ad concordiam et charitatem cum proximis fovendam; εὐχαριστετε ergo hic idem est quod εὐχαριστετε.

Secundo, Theophylactus Graecum εὐχαριστετε verit, grati estote, et, ut Syrus verit, gratias agite Christo, pro beneficiis ab eo acceptis, agnoscite gratiam vobis per Christum factam, et illi gratias referatis, tales vos Christi amore proximis exhibete, qualem se Christus vobis exhibuit: hoc enim gratitudo, ipsaeque Charitas exigit. Hinc trium Charitum, quas finxerunt Graeci, duae aspiciantur invicem, tertia averso erat vultu, ut docerentur qui beneficia accipiunt, se ea aeterna memoria intueri debere; qui vero largiuntur, nunquam ea amplius in memoria revocare. Verum prior sensus magis aptus et genuinus est.

16. VERBUM CHRISTI HABITET IN VOBIS ABUNDANTER (graeco περισσεως, id est opulenter, copiose) IN OMNI SAPIENTIA, DOCENTES ET COMPONENTES VOS METIPSO, — q. d. Doctrina et Evangelium Christi plene et copiose imbuit et impleat mentem vestram, in eaque quasi resideat et habitet, ut Chris-

tiana sapientia pleni eam eructetis ex eaque invicem doceatis, monentis, exhortemini. Sic S. Caelia Evangelium Christi semper gerebat in pectore, et non diebus, neque noctibus vnebat a colloquiis divinis et oratione; indeque Evangelium hoc ita eructavit, ut sponsum Valerianum et Tiburtium ejus fratrem converteret. Utinam Christiani tam studiosi essent Evangelii et doctrinae Christianae, quantum exigit corum professio et dignitas Evangelii ac Christianismi.

IN GRATIA CANTANTES IN CORDIBUS VESTRIS DEO. — «In gratia,» id est cum gratiarum actione. Idem enim est cum eo quod dixit Ephes. v. 19: «Cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes semper pro omnibus.» Vult enim Christianos tantorum beneficiorum, quae per Christum in christianismo acceperunt, memores, semper letos et exultantes vivere, Deoque laudes et hymnos in gratiarum actionem canere, Ita Anselmus. Verum qui vers. seq. hanc gratiarum actionem inculcat Paulus,

Hinc secundo, melius Theophylactus: «In gratia,» inquit, id est cum gratia et venustate, ut videlicet tam pie, suaviter, reverenter canatis, ut videlicet non carnalem, sed spiritualem, tam vobis et proximis, quam Deo ipsi afferatis. Unde vult hanc cantum fieri in cordibus et mentibus, ut inde in suavissimam ac piissimam vocem erumpat, qua alios doceamus et exhortemur.

Tertio, non male Chrysostomus: «In gratia,» inquit, id est, ex gratia et afflatu Spiritus Sancti (1).

Nota: Paulus hic et Ephes. v. 19, Christianis impense commendat psalmodiam et hymnodiam. «Est enim psalmus, inquit S. Basilius, proemio in Psalms, animarum tranquillitas, pacis arbiter, optimarum disciplinarum et documentorum promptuarium: psalmus turbas et fluctus cogitationum compescit, iracundiam mollit, demones fugat, angelos advocat: psalmus in terroribus nocturnis securitas, in diurnis laboribus requies est: psalmus elementum est incipientibus, incrementum proficientibus, confirmatio perfectis: psalmus est vox Ecclesiae, angelorum opus, coelestis republicae spirituale odoramentum.» Et S. Augustinus, Psal. initio: «Psalterium, ait, est communis quidam divinae doctrinae thesaurus, et universis animae passionibus, quae humanas animas vario angunt, subvenit: psalmus significat est pacis, spirituale thymiana, exercitium caelestium: luxum reprimat, sobrietatem suggerit, lacrymas movet.»

17. OMNE QUODCUMQUE FACITIS IN VERBO, AUT IN OPERE, OMNIA IN NOMINE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI (supple, facile), GRATIAS AGENTES DEO, ET PATRI PER IPSUM, — q. d. Non propter Simonem, non propter Moysen, non propter angelos Novantium, sed propter Christum ejusque gloriam facite.

S. Caelia Evangelium Christi semper gerebat in pectore.

Psalmus dicitur Iracundia.

Omnia facite ad gloriam Christi.

(1) Allio: «In gratia,» id est, cum proximis edificatio.

omnia quaecumque facitis : et sic est hoc præceptum, sed negaviim. Ita Theodoretus et Theophylactus.

Secundo, potest hoc esse præceptum quoque affirmativum, si cum Ambrosio et D. Thoma sic exponas, q. d. Omnia opera vestra talia sint, quae cedere possint in gloriam Christi, Christusque vestrae vite et actionum sit ultimus finis. Et hoc proprie videtur hic velle Apostolus, scilicet ut non angelos, sed Christum statuamus nobis finem actionum omnium in genere, ut Christus in iis omnibus laudet. Quocirca Maldonatus apposite: « in gratia, » Græce *ἐν χάριτι*, hoc est, inquit, in *lectitia*. Sic enim *χάρις*; pro *χαρῆς*, id est *lectitia*, capitur II *Thessal.* II, 13; ad *Philem.* vers. 7, et II *Corinth.* I, 15.

Tertio, est consilium, si singula opera actu aut virtute ad Christi gloriam referri velis. Hoc enim est consilium, non præceptum: nam actus moraliter bonos facere possumus sine actuali, imo virtuali relatione ad Christum.

Et sane consulenda est hæc praxis, ut assuecimus crebro iteratis actionibus opera nostra, præsertim in eorum exordio, referre ad gloriam Christi: ita fiet ut ex consuetudine habitum induamus, quo vel actu vel virtute omnia illa referamus ad gloriam Christi: hinc consequetur, ut omnia opera nostra, etiam indifferentia, virtutis et meriti rationem induant. Qua in re multi simplices opifex, agricola aliique permulti deficiunt, faciuntque ingentes labores, sed sine merito, quia laborant tantum ex motivo et fine naturali, ut scilicet sibi suisque de necessariis vite provideant: qui si docerentur eadem insuper referre ad Dei laudem et obsequium, nullo lucro terrene fraudarentur; sed præter illud, ingens meritum et benedictionis divine lucrum apud Deum acquirerent. Ut ad hoc se et suos excitaret, Deique et pie intentionis in Deum memoriam renovaret S. P. N. Ignatius, hoc elogium perpetuo habebat in ore: « Ad majorem Dei gloriam. » Simili modo Apostolus, I *Corinth.* X, 31, dixit: « Omnia in gloriam Dei facite, » ut ibi dixi.

18. MULIERES, SUEBILÆ ESTOTE VIRIS, SICUT OPOR-
TET, IN DOMINO, — id est sicut oportet, secundum
Christi Domini legem, voluntatem, Evangelium.
q. d. Mulieres subditæ sint viris, sicut decet subdi-
tas, quæ Christo conjunctæ profitentur se sequi
Christi modestiam, humilitatem, obedientiam,
quam didicerunt in christianismo. Ita Anselmus.
Vide dicta *Ephes.* VI, 1.

Equid mirum si Christianis matronis hoc præcipiat Paulus, cum idipsum Aristoteles Gentilibus præscribat, lib. I *Æconom.*, cap. I et II: « Existimare, inquit, debet mulier bene composita, rores viri esse legem vite suæ, impositam sibi a Deo per conjunctionem matrimonii. Qui hæc ergo negligit, Deos ipsos videtur negligere, qui-
bus presentibus sacra fecit, et matrimonium

init. » Et Cato apud Livium, lib. XXIV: « Ma-
jores, inquit, nostri nullam ne privatum quidem
rem agere feminas, sine auctore voluerunt; sed
in manu esse virorum. » Quare idem Cato gravi-
ter accusans insolentiam et fastum miserum Ro-
manarum, apud Livium, dec. IV, lib. IV, hoc
quasi monstrum proponit: « Omnes, inquit, ho-
mines uxoribus dominantur, nos omnibus homi-
nibus, nobis autem uxores. » Longe melius et
sanctius vir ille prudens consilium dedit ma-
trona: « Si vis, inquit, imperare viro, pareas:
bona enim mulier parendo viro, imperat. » Ita
Livia, Augusti Caesaris uxor, interrogata, « quibus
rationibus Augustum sibi subieisset? » respon-
dit: « Multa modestia; » quod ea quæ placent
Augusto, faceret libenter; quodque se scire dis-
simularet, quibus ille amoribus domi frueretur.
Testis est Dion in *Tiberio*.

20. HOC ENIM PLACITUM EST IN DOMINO. — Am-
brosius legit, *Domino*; sed Romana et Græca
legunt, in *Domino*, id est apud Dominum, et, ut
SYLLUS, coram Domino.

21. PATRES, NOLITE AD INDIGNATIONEM PROVOCARE
FILIOS VESTROS, UT NON PUSILLO ANIMO FIANT. —
Græce, *ὡς πρὸ ἀδελφότητος*, id est ne despondeant ani-
mum, scilicet si videant parentes in se assidue
tam duros, asperos, litigiosos: inde enim solent
filii perdere animum, segnescere in suis operi-
bus, cum vident ea parentibus non placere,
sequitur parentibus obedire, imo in pietate, Dei
timore et cultu languescere, ac tandem despa-
rare, fugere, omneque jugum tamen Dei, quod
parentum excutere.

22. SERVI, OBEDETE PER OMNIA DOMINIS CARNALIBUS
(temporalibus, etiam Ethnicis), NON AD OCULUM
SERVIENTES, QUASI HOMINIBUS PLACENTES, SED IN
SIMPLICITATE CORDIS, TIMENTES DEUM, — q. d. Servi,
obedite dominis, non fite ad oculum, ut eorum
gratiam captetis, sed simplici et candido animo,
ac studio placendi Deo, qui præcipit hanc o-
bedientiam servis, quique voluit vos esse servos et
servire, non autem dominos et imperare. Ti-
meant ergo servi Deum, et non dominorum, sed
Dei timore dominis suis obediant. Vide dicta
Ephes. VI, 5.

23. QUODCUMQUE FACITIS, EX ANIMO OPERAMINI,
SICUT DOMINO, ET NON HOMINIBUS, — q. d. Nolite, o
servi, dominis vestris obedire ad oculum, sed
ex animo, tanquam si ipsi Domino Deo servire-
tis, sicut revera servitis; quia Dei, qui vos servos
fecit, voluntas est ut heris vestris ex animo o-
bediatis. Si ergo heris ita obediat, ipsimet Deo
obediatis, qui « retributionem » æternæ « here-
ditatis » in celo servis ita obedientibus im-
promisit, ita revera præstabit pro hoc eorum obse-
quio. Agile ergo servi, astote philotespoti, id
est amantes herorum, nec herum ut hominem,
sed in hero herique jussu Deum, et Dei jussum
intinemi et accipite.

24. RETRIBUTIONEM. — Græce est ἀνταπόδοσις, quæ

vox significat mercedem, quæ pro merito ope-
rum datur. Cum ergo Paulus Deo eam tribuat,
certum est servos eam apud Deum mereri sua
obedientia. Nota hoc pro meritis honorum ope-
rum, contra Novantes (1).

DOMINO CHRISTO SERVITE. — Græcum *δοῦλάριον*,
tam est indicativum, quam imperativi modi. Unde
verbi potest cum Valabulo, nam *Christo Domino*
servitis, q. d. Eaproinde ille Dominus utpote
fidelissimus et liberalissimus, vestrum servitium
compensabit abundantissime in futura heredi-
tate celesti.

25. QUI ENIM INJURIAM FACIT, RECIPET ID QUOD

(1) Hereditatis. Servi apud antiquos ab omni ex-
cipiebant hereditate. At servi Christiani, si heris suis
tanquam Christo obediunt, hereditatem recipient, alter-
nam scilicet in celo.

INIQUE GESSIT: ET NON EST PERSONARUM ACCEPTIO
APUD DEUM. — Probat quod servi justi et obse-
quentes suis heris accipiunt retributionem here-
ditatis jam dicte, argumento a contrario: nam
qui injusti sunt, sive domini sint, sive servi,
accipiunt a Deo retributionem damnationis. Taxa
tacite, et reprimi fastum ac dominatum domi-
norum, qui injuste ac tyrannice tractant suos
servos, q. d. Sciant hi se a Deo judicandos, et
pro injuria servis suis irrogata puniendos; vicis-
sim solentur se servi injuste ab heris vexari,
quod eorum injurias ulciscetur Deus, eorumque
patientiam et obedientiam remunerabit (2).

(2) Allio: Sed qui male agit (adversus enim, injustitia,
sæpe est omnis generis malitia et improbitas), sive sit
servus, sive herus, penas improbitatis feret, etc.

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit hortari primo, dominos ad æquitatem et benignitatem in servos.

Secundo, omnes christianos ad orationis frequentiam, sapientiam christianam, et gratiam ac prudentiam
in loquendo.

Deinde, vers. 10, fuse et particulatim suos salutat.

1. Domini, quod justum est et æquum, servis præstate: scientes quod et vos Dominum
habetis in celo. 2. Orationi instate, vigilaantes in ea in gratiarum actione: 3. orantes simul
et pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi
(propter quod etiam vinetus sum), 4. ut manifestem illud ita ut oportet me loqui. 5. In
sapientia ambulate ad eos qui foris sunt: tempus redimentes. 6. Sermo vester semper in
gratia sale sit conditus, ut sciatis quomodo oporteat vos unicuique respondere. 7. Quæ
circa me sunt, omnia vobis nota faciet Tychicus charissimus frater, et fidelis minister,
et conservus in Domino: 8. quem misi ad vos ad hoc ipsum, ut cognoscat quæ circa
vos sunt, et consoletur corda vestra, 9. cum Onesimo charissimo, et fideli fratre, qui
ex vobis est. Omnia quæ hic aguntur, nota facient vobis. 10. Salutat vos Aristarchus
conceptivus meus, et Marcus consobrinus Barnabæ, de quo accepistis mandata: si venerit
ad vos, excipite illum: 11. et Jesus, qui dicitur Justus: qui sunt ex circumcisione: hi
soli sunt adiutores mei in regno Dei, qui mihi fuerunt solatio. 12. Salutat vos Epaphras,
qui ex vobis est, servus Christi Jesu, semper sollicitus pro vobis in orationibus, ut stetis
perfecti, et pleni in omni voluntate Dei. 13. Testimonium enim illi perhibeo quod habet
multum laborem pro vobis, et pro iis qui sunt Laodicæ, et qui Hierapoli. 14. Salutat vos
Lucas medicus charissimus, et Demas. 15. Salutate fratres, qui sunt Laodicæ, et Nymphæ
et quæ in domo ejus est, ecclesiam. 16. Et cum lecta fuerit apud vos epistola hæc, fa-
cite et in Laodicensium ecclesia legatur: et eam quæ Laodicensium est, illi impleas. 17. Et
dicitur Archippo: Vide ministerium, quod accepisti in Domino, ut estudium impleas. 18. Salu-
tatio, mea in manu Pauli. Memores estote vinculorum meorum. Gratia vobiscum. Amen.

4. DOMINI, QUOD JUSTUM EST ET ÆQUUM, SERVIS
PRÆSTATE, — pro æquum, Græce est *ἰσότης*, id est: æqualitatem, ut scilicet æqualiter servos tra-
tent; non unum dure,

non unum ament et colant, alterum avertentur et contemnant; sed pares pari affectu et benevolentia prosequantur. Idem inter filios servare debent parentes, idem in monasteriis, collegiis, republica prestare debent Superiores, ne unum filium, subditum, civem præ alio ament, colant, attollant: hæc enim est inæqualitas et acceptio personarum, quæ pacem turbat, invidiam aliorum concitat, et Superiores in odium illorum qui negliguntur, vel postponuntur, adducit. Sic enim Joseph a patre Jacob plus cæteris adamatus, et polymita vestitus, invidiam fratrum, omniaque mala et tantum non mortem incurrit (1).

9. ORATIONI INSTATE. — Græce ἰσχυρῶς προσευχόμενοι, id est, ut Syrus, in oratione perseverate. Tollis Apostolus in suis epistolis orationis studium et frequentiam Christianis etiam laicis inculcat, quia oratio est fistula cœlestis, per quam omnis rosm, id est gratia cœlestis, in nos descendit, ut quidam Sanctorum tam vere, quam appositè dixit.

VIGILANTES IN EA IN GRATIARUM ACTIONE. — Insignem pianque formulam gratias agendi viri ejusdam sancti (forte ipsiusmet S. Chrysostomi) recenset hic, hom. 10, Chrysostomus. Ea talis est: « Gratias agimus tibi pro omnibus beneficiis tuis, a primo die usque in hunc presentem indignis nobis impensis, sive nota nobis sint, sive incognita; tam pro oculis, quam pro manifestis, quæ vel opere nobis vel sermone facta sunt, et quæ voluntariis, et quæ invitis sunt prestita; pro omnibus que immeritis nobis exhibita sunt; pro afflictionibus, pro quiete, pro gehenna, pro supplicio, pro regno celorum. Obsecramus ut animas nostras custodias sanctas, mundam habentes conscientiam, finem benignitate tua dignum. Qui nos ita dilexisti, ut Unigenitum tuum pro nobis dederis, dignare nos hæc dilectione dignos reddere. Da sapientiam in verbo tuo, et in timore tuo, unigenite Christo, inspira nobis fortitudinem tuam. Qui Unigenitum pro nobis dedisti, et Spiritum Sanctum tuum emisisti in remissionem peccatorum, sive sponte quid, sive invit deliquerimus, condona, nec reputes. Recordare omnium qui nomen tuum invocant in veritate. Recordare omnium qui nobis vel bene, vel male volunt: omnes enim homines sumus. » Subdit Chrysostomus: « His diebus addebat orationem fideliū, atque ita cessabat, tanquam coronide quadam et colligatione, post orationem pro omnibus factam, imposita. Multis enim nos Deus invit nos beneficiis afficit, multis etiam et pluribus ignaros. Quando enim contraria precamur, ipse verò diversa facit, manifestum est quod et incertis benefaciat. »

3. ORANTES SIMUL ET PRO NOBIS, UT DEUS APERTAT NOMIS OSTIUM SERMONIS, — id est, ut /set mihi adi-

(1) Ille comita non debebat avelli a cap. præcedenti.

tum et opportunitatem evangelizar.ii, amoveatque ejus impedimenta.

Aliter S. Anselmus, Theophylactus et Ambron: ut Deus, inquit, aperiat ostium sermonis, id est os nostrum per quod quasi ostium sermo ex homine egreditur, g. d. Ut Deus det nobis os apertum et liberum, id est det nobis libertatem, fiduciam et audaciam prædicandi. Unde quasi explicans subdit: « Ut manifestem illud ita ut oportet me loqui. » Alioqui juxta priorem sensum dicendum est, esse hic novam petitionem, et supplendam esse conjunctionem et, g. d. Orate, ut Deus aperiat ostium Evangelio, et ut manifestem illud, sicut oportet, etiam in vinculis constitutus et coarctatus. Meminit Paulus identidem vinculorum suorum, et in iis gloriatur, ut idem nos facere doceat. Præclare S. Cyprianus, epist. 72 ad Nestorem, de vinculis Martyrum: « O pedes, inquit, felicitati vincit; qui itinere salutari ad paradisum diriguntur! O pedes ad præsens in sæculo ligati, ut sint semper in cœlis apud Deum liberi! » Mire vero S. Chrysostomus, hic hom. 10, hæc vincula extollit, atque inter cœtera ait, Paulum, utpote in cœlis animo et mente versantem, non poluisse vinculis constringi, sed in iis quasi liberum et solum prædicasse et cucurrisse ad cœlum. « Injice, ait, radiis solis aut soli ipsi vincula, siste cursum ejus, si potes: si non potes, nec Paulum, qui quasi sol in cœlo conversatur, hæcque et doctrine suæ radios in terra dispergit, vincire, aut cursum ejus inhibere poteris. »

5. IN SAPIENTIA AMBULATE AD EOS QUI FORIS SUNT, — id est sapienter et prudenter agite cum Ethnicis, ut illos ad fidem Christi pelliciat. Ita Ambrosius.

TEMPUS REDIMENTES. — Græce κἀπι, id est occasionem bene agendi cum aliis, et rei Christianæ bene gerendæ ac promovendæ, prudenter ac studiose captate: enim redimentes tempus pendet ex eo quod præcedit, « In sapientia ambulate ad eos qui foris sunt. » Ita Ambrosius et Theophylactus. Vide dicta Ephes. v. 16.

Aliter Anselmus: « Tempus, inquit, redimimus, quando anteactam vitam, quam lasciviendo perdidimus, fiendo reparamus. » Sed prior sensus est ex sententia et mente Apostoli.

Alii sic explicant, g. d. Cum infidelibus sapienter, id est caute, conversamini, ita ut redimendæ vexationis et evitandæ persecutionis causa, quo tempus habeatis liberum ad serviendum Deo, patiamini, si opus sit, etiam pendendum aliquod rerum temporalium. Aut aliter, g. d. Sapienter agite cum infidelibus, ne ex veteri amicitia cum eis tempus teratis otio, fabulis, ludis, conviviis, etc., uti ante solebatis, sed dextere ab iis vos subducite, ut tempus pretiosum redimatis, illudque in oratione, studio, charitate, propagatione fidei, operibus misericordie aliisque virtutibus impendatis. Hi duo sensus satis apposit

ruat. Est enim generalis hæc sententia Apostoli, similis illi Ephes. v. 16; epistola enim ad Colossenses similis est illi ad Ephesios, ejusque quasi compendium.

6. SEMPER VESTER SEMPER IN GRATIA (id est cum gratia, hoc est approbatione et ædificatione proximorum) SALE (id est prudentia) SIT CONDITUS.

— Secundo, Anselmus, « in gratia, » id est in dulcedine charitatis. Tertio et adæquate, « in gratia, » id est cum gratia, ut scilicet sit gratiosus sermo vester, et gratiam ac favorem audientium conciliet: ita tamen, ut sit sale conditus, et insulsus cibus displiceat: ita sermo vester suavis sit, jucundus et gratus, non præsalus et austerus: hic enim alios, maxime Gentiles, a vobis averteret. At neque sit insulsus et dissolutus; sed sale modeste, gravitatis et discretionis conditur; ut sal opponatur œρις, id est putri et scurrili, ut dixi Ephes. iv. 29, g. d., ait Chrysostomus: « Sermo vester jucundus sit, sed simul stringat, obturet, pungat acuat. »

Talis debet esse sermo præconum Evangelii, et eorum qui animas student Christo lucrifacere.

Hic gratiæ mire studeverunt Gentiles. Ita Xenophon in sermone fuit suavissimus, indeque vocatus est « Musa Attica. » Ita Plato miram habuit sermonis gratiam. Quare cum adhuc infans in cunis dormiret, apes mellis copiam labellis ejus instillare vise sunt; quod præcipue portendere dixerunt, ex ore Platonis melle dulciorem fluxuram esse orationem. Sciunt omnes quanta in Cicerone dicendi scribendique fuerit gratia. Xenocrates tristior et tetricus jussus est a Platone « Gratiis sacra facere, » ut comitatis elegantiam sibi conciliaret. « Nam tetricus vultus et sermo non turibus, sed sylvis convenit, » inquit Plato. Protagenes pictor toto septennio in pingenda Jalyis imagine consumpto, tandem summam manam imposuit. Eam cum Apelles cerneret, primum subsistit mutus et stupefactus, deinde inspiciens, ait: « Opus quidem magnum, artifexque excellens, verum operi gratia deest; quo si adesset, asscetus esset auctor immortalæ gloriæ. » Adject, « sibi cum Protagene omnia paria esse, aut illi meliora, ad uno se prestare, quod manum ille de tabula nesciret tollere. » Nimis enim morosi dum nimis omnia gratiosæ exhibere cupiunt, gratiam perdunt. Ita Elianus, lib. XII, cap. xli, et Plinius, lib. XXXV, cap. X.

Moraliter, fuscus id explicat Anselmus: « Sicut, inquit, cibus cui sal immiscetur, fit sapidus, et caro bene salita non putrescit, nec fetet; ita sit et sermo vester, ut quasi cibus sapidus recipiatur ab ore cordis audientium; non sit insipidus per

insipientiam, nec putidus per admonitionem carnalis delectationis, nec corruptus per admixtionem falsitatis; sed semper sale spiritualis sapientiæ conditus, et integritate veritatis incorruptus, atque odorem cœlestis et incorruptibilis delectationis spirans. Et ita condimentum divini salis habeat sermo vester. »

9. CUM UNESIMO, etc. 11. QUI EX VOBIS EST. — Id est, qui est ex vestra gente et urbe, scilicet est Colossensis, quales et vos estis. Id patet ab Epistola ad Philemonem. — Hi soli (scilicet ex domesticis meis, qui me comitari et adjuvare solent) SUNT ADJUTORES MEI IN REGNO DEI, — id est in prædicatione Evangelii, quod est via ad regnum Dei cœlestis: qui enim prædicat Evangelium, prædicat regnum cœlestis, et viam ad hoc regnum. Hinc S. Joannes et Christus et Apostoli hoc thema suæ prædicationis proposuerunt: « Prædicationem agite, appropinquavit enim regnum celorum. »

Hinc ergo ruit argumentum Beze: Si, inquit, hi (scilicet Aristarchus, Marcus et Jesus) soli erant Romæ cum Paulo, ergo Petrus Romæ non erat, nec Romæ sedit Pontifex viginti quinque annos. Respondet: Hi soli erant Romæ cum Paulo quasi soli et domestici ejus; Petrus vero Romæ erat, sed seorsim evangelizabat. Adde Petrum ita sedisse, id est papatum constituisse Romæ, ut tamen quasi Pastor Ecclesie per vices sepe discurreret per alias regiones, ibique fundaret Ecclesias, uti faciebant alii Apostoli.

12. SEMPER SOLICITUS PRO VOBIS. — Græce ἀφορῶν, id est certans et agonizans pro vobis est Epaphras vester duper Episcopus.

UT STETIS PERFECTI, ET PLENI IN OMNI VOLUNTATE DEI, — id est in omni eo, in quo vult Deus nos esse perfectos et plenos, scilicet in sapientia et vita Christiana. Voluntas enim ponitur pro volitio, id est objectum pro potentia, juxta Can. 30 (2).

13. SALUTATE FRATRES, etc., ET NYMPHAM, (Nympha vir fuit, non mulier. Palet ex eo quod sequitur) ET QUÆ IN DOMO EJUS (Græce οἴκου, id est ejus masculinæ, viri scilicet, non feminæ) EST, ECCLESIA, — id est domesticæ ejus ecclesiam et familiam fidelem. Ita Theophylactus, licet Theodoretus putet Nympham hunc consecrassè domum suam in ecclesiam.

14. NAM QUÆ LAODICEENSIS EST, VOS LEGATIS. — Putat Philastrius, lib. De Hereticis, cap. xc, Paulum scripsisse ad Laodiceenses, velleque hic ut ea Epistola Colossis legatur. Sixtus Senensis, lib. II, in Paulo, hanc epistolam ad Laodiceenses recenset, eamque probat Faber Stapulensis. Ea sic habet: « Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Chris-

Qui sermo est insulsus, non perisul.

Qui non est sale conditus, nam aliqui sicut præsalus, sic et insulsus cibus displiceat: ita sermo vester suavis sit, jucundus et gratus, non præsalus et austerus: hic enim alios, maxime Gentiles, a vobis averteret.

Protagenes, pictor.

Ver. 8 et 11.

Objecta Beza sol. vitar.

Ver. 11.

Ver. 13.

Epistola Pauli ad Laodice.

(1) Sat. pertinax hoc ad sapientiam conversandi cum extraneis, ut semper loci, temporum, personarum et ipsam habeatur respectus.

(2) Alii: Pleni, hoc est, omnibus donis divinis instructi; in omni voluntate Dei, id est, ad omnem Dei voluntatem, solè persequendam.

tum, fratribus, qui estis Laodicea, gratia vobis et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo. *Gr.* — ago Christo per omnem orationem meam, quod permanentes estis et perseverantes in operibus bonis, promissionem expectantes in die iudicii. Neque disturbent vos quorundam vaniloquia insimulantium veritatem, ut vos avertant a veritate Evangelii, quod a me praedicatur. Et nunc faciet Deus, ut qui sunt ex me, ad perfectum veritatis Evangelii, sint deservientes et benignitatem operum facientes, quae sunt salutis vitae aeternae. Et nunc palam sunt vincula mea, quae patior in Christo; in quibus letor et gaudeo. Et hoc est mihi ad salutem perpetuam, quod factum est in orationibus vestris administrante Spiritu Sancto, sive per vitam, sive per mortem. Et mihi vivere vita in Christo, et mori gaudium; et ipse in vobis faciet misericordiam suam, ut eandem dilectionem habeatis, et sitis unanimes. Ergo, dilectissimi, ut audistis praesentiam Domini, ita sentite et facite in timore; et erit vobis vita in aeternum (est enim Deus qui operatur in vobis); et facite sine peccato, quaecumque iactis, et quod optimum est: dilectissimi, gaudete in Domino Jesu Christo, et cavete omnes sordes in omni lucro. Omnes petitiones vestrae sint palam apud Deum. Estote firmi in sensu Christi, et quae integra, vera, et pudica, et casta, et justa, et amabilia sunt facite, et quae audistis et accepistis, in corde retinete, et erit vobis pax. Salutant vos omnes sancti. Gratia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro. Amen. Hanc facite legi Colossensibus, et eam, quae est Colossensium, vobis. Sed supposititiam esse hanc epistolam patet, tum ex stylo, tum ex brevitate, tum quod frigidior sit; tum quod eadem contineat, quae Epistola ad Colossenses, ex eaque aliisque Pauli Epistolis consarcinata sit, cum tamen eam quasi novi aliquid continentem Colossis legi jubeat hic Apostolus; tum denique quod veteribus incoegnitata fuerit. Imo S. Hieronymus, in *Catalogo Scripturarum Eccles.*, in *Paulo*: « Legunt, ait, quidam Epistolam ad Laodicenses, sed ab omnibus exploditur. » Rursum Marcion putabat Epistolam ad Laodicenses esse Epistolam ad Ephesios: Theophylactus vero esse Epistolam primam ad Timotheum, quae scripta est Laodicea.

Quaenam epistola Laodicea sit?
Sed respondeo et dico Apostolum hic vocare Epistolam Laodicensium, non suam, quam ad Laodicenses scripsit, sed eam quam Laodicenses ad Paulum, vel certe ad ipsos Colossenses, ut vult Theodoretus, scripserint; in qua quaedam inerant, quae ad rem Colossensium pertinerent, ac proinde ab eis eam legi voluit Apostolus. Patet ex Graeco textu, qui sic habet, *καὶ τὰ ἐν Λαοδικαῖς*, id est *et eam, quae Laodicea*, scilicet ad me scripta est, vos legite. Ita Chrysostomus, Syrus et Theodoretus, qui sic ait: « Non dixit apostolus, Eam quae ad Laodicenses; sed, Eam quae ex Laodicea est, legite: illi enim de aliqui-

bus rebus ad eum scriperant. Verisimile est autem eos vel ea accusasse, quae fiebant Colossis, vel eodem morbo cum eis laborasse; et ille dixit hanc quoque epistolam esse legendam. Maldonatus tamen in *Notis manuscr.* sic explicat: *Τὰ ἐν Λαοδικαῖς*, id est, inquit, quae a Laodicensesibus ad vos mittitur, a me ad eos scripta: in qua credibile est Paulum Laodicenses monuisse, ut eam ad Colossenses mitterent, sicut hic Colossenses monet, ut hanc ad Laodicenses mittant (1).

17. DICITE ARCHIPPO: VIDE MINISTERIUM, ACCEPISTI IN DOMINO (id est in Domini Ecclesia, Domino, per Dominum, juxta *Can. 23*), UT ILLUD IMPLEAS. — Ministerium hoc fuit pastoratus, vel episcopatus Colossensium, in quo Archippus hic videtur successisse Epaphrae, qui jam captivus Romae tenebatur in vinculis, ut patet ex Epistola ad *Philemonem*, vers. 23. Vult ergo Archippum hoc suum ministerium implere, id est plene et perfecte fungi suo episcopatu aut pastoratu, tanquam qui a Domino ministerium acceperit, *q. d.* Vide, Archippe, sis diligens in hac tua cura; Domini officium agis, Dominus tibi credidit has oves, eas a te repetet. Ita Theophylactus.

18. SALUTATIO MEA MANU PAULI. — Salutationem vobis propria mea manu ego Paulus subscribo. Hinc patet Paulum hucusque dictasse hanc epistolam et scripsisse aliena manu; haec vero et quae sequuntur deinceps ad finem usque, sua scripsisse manu. Ita Anselmus.

MEMORES ESTOTE VINCLORUM MEORUM, — tum ut pro me victo oretis, tum ut meis vinculis in fide et constantia roboremur. Haec enim memoria et exemplum quod victus sim et condemnatus, ait Theophylactus, magnam vobis afferet consolationem in omnibus tribulationibus. Imitatur Paulum S. Ignatius, qui epistolam suam ad *Philippenses* ita conclusit: « Mementote vinculorum meorum, ut consumer in Domino. »

Moraliter S. Chrysostomus: « Deliciarum, inquit, concupiscentia prehenderis? recordare carceris Pauli: discipulus es illius et commilito. Quam rationem habet, commilitonem quidem tuum in vinculis esse, te vero in deliciis? In afflictionibus es? putas te derelictum esse? Audi sermones Pauli, et vide quomodo in afflictione esse, non sit derelictionis indicium. Velles sericis indui? memor esto vinculorum Pauli, et videbuntur tibi serica indumenta quibusvis fetulentis panniculis abjectiora esse. Velles aureis instrumentis amiciri? recordare vinculorum Pauli, et ostendent tibi nihil illa cuncto protrihi melius habere. Vis ornari capillis, formosaque videri? considera squalorem Pauli in carcere, et accenderis circa illum pulchri-

(1) Nonnulli intelligunt epistolam Pauli, quae ad Ephesios inscribitur; quum enim eam fuisse encyclicam existimant, ideoque Laodicea Colossensibus missam, merito ab hac rem epistola ad Laodicenses videri et appellari potuit. Sed deest nobis lux historiae.

indinem, hancque extremam deformitatem esse putatis. Atque amare ingemiscere desiderio illorum x. colorum correpta. Vis odoramenta et faciem et quidquid ejusmodi est, tibi ipsi accommodare? cogita illius lacrymas. Triennium noctes et

dies a lacrymis non cessabat. Hoc ornata genas tuas adorna. Lacrymae istae eas splendidiore facient. Non dico ut pro albis illacrymes; vellem quidem et istas, et sublimis est; sed pro peccatis tuis hoc facere adhortor. »

*Quomodo
et in
omni
deserit
sunt de
bitis
vincula
Pauli.*